Dissertatio prior de diagnosi vitae foetus et neogeniti / quam indultu gratiosi medicorum ordinis praeside D. Ernesto Gottlob Bose ... pro gradu doctoris defendet Christophorus Godofredus Iohn, Lipsiensis, medicinae baccalaureus A.D. XV. Mart. A.P.C.N. MDCCLXXI.

Contributors

John, Christoph Gottfried, 1742-
Bose, Ernst Gottlob, 1723-1788.
Leipzig 1771.

Publication/Creation

Lipsiae : Ex Officina Langenhemia, [1771]

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/wemn6p7s

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

30478/P
73176
3/3

DISSERTATIO PRIOR
DE

DIAGNOSI VITAE FOETVS ET NEOGENITI

QVAM
INDVLTV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE

D. ERNESTO GOTTLOB BOSE
PHYSIOLOG. PROF. PVBL. ORDIN. FACVLT. MED.
ADSESS. ET APVD LIPSIENSES
POLIATRO

PRO GRADV DOCTORIS
DEFENDET

CHRISTOPHORVS GODOFREDVS IOHN
LIPSIENSIS
MEDICINAE BACCALAVREVS

Brüning ovv

A. D. XV. MART. A. P. C. N. MDCCLXXI.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

MICHAELI

DVCI IN KLEWAN ET ZVKOW

CZARTORYSKI

SVPREMO MAGNI DVCATVS LITHVANIAE

CANCELLARIO

HOMELIENSI, GEORGEBVRGENSI, VSWIATENSI,

PODVSWIATENSI, KVPISCENSI

PIENIANENSI etc.

CAPITANEO

ORDINVM AQVILAE ALBAE ET S. ANDREAE

EQVITI

PRINCIPI AC DOMINO SVO

INDVLGENTISSIMO

SPECIMEN HOC INAVGVRALE

HVMILLIMO CVLTV

CONSECRAT

CHRISTOPHORVS GODOFREDVS IOHN.

§. I.

Quod medici eſt officium omnem in vitam hominis pretioſiſſimam conuertere attentionem, ea quoque expoſcit, vt a primis vitae rudimentis incipiens obſeruatio, quatenus tantum illa ex phaenomenis quibusdam dignoſcitur, ad omnem eius vlteriorem decurſum directa ſine intermiſſione continuetur. Haec autem varia inſtitui poteſt ratione, alia nimirum eſt vitae contemplatio, quae ad medicum, in facienda ſua arte occupatum, et de ſanitate conſeruanda reſtituendaque ſollicitum, ſpectat, alia vero, dum in vſum fori, ex nexu diſciplinarum cognito idem ſua vtitur ſcientia ad diiudicandas conditiones, in quocunque ſtadio vitae occurrentes, quibus reus vel abſoluatur vel inculpetur. Quum tamen non infrequenter in foro de vita foetus vel recens nati, quaeſtio naſcatur, reipublicae quoque et ſaluti ciuium maxime interſit illius ſtudioſior diſquiſitio, ſpecimini academico aeque ac officio meo accommodata viſa eſt haec curioſior perueſtigatio, qua ex ſignis ſuis praeſentia vitae aut confirmatur aut denegatur. *Inſtituti ratio.*

Siquidem ex his quasi praemissis, non obscure iudex possit instrui ad definiendam sententiam. Solet quidem tunc plerumque in foro de vita hominis dubitatio oriri, dum iam in lucem editus mortuusque infans, num vita fuerit praeditus, numque eam per violentam quandam caussam accedentem amiserit, ambigitur, atque corporis delicti constituendi caussa, viscerum partiumque corporis, sectione diuisarum, accurata inspectio, tanquam iudicii, inde desumendi, fundamentum adhibetur; verum quum saepe eueniat, vt ad confirmandam vitam nati omnium, etiam praegressarum, conditionum notitia opus sit physico forensi, alia in externo corpore foetus obueniant, a pariente quoque repetenda momenta, alia demum in internarum partium perlustratione posita sint, mihi ab his incipiendum esse duxi. Ex quo consequitur, ea primo loco pensitanda esse, quae sine dissectione patent, ex signis tum in corpore recens nati, tum in matre grauida et puerpera habendis colligendisque, quibus deinceps reliqua, ex interioribus per sectionem manifesta reddita adiicientur. Multorum quidem est opinio, ex respirationis organis, atque pulmonum statu vitae rationem quam optime determinari, etsi hac de re copiosissima sit controuersia, eam autem ad internorum signorum explicationem referimus. Dum itaque generalem hanc suscipimus dilucidationem, si magnis in arte viris placere nequeamus, nobis satis erit, tyronibus et ad forum sese applicaturis viam ingrediendam monstrasse. Hinc de signis, quibus vita foetus et nati discernitur, differentes, praemissa generali vitae cognitione alia, quae in foetu vel recens nato, alia quae in matre notari merentur, sigillatim expofituri sumus.

§. II.

Animationis foetus terminus.

Si hominem adultum viuentem contemplamur, tot ad vitam concurrere actiones, tamque egregiam conspirationem esse

esse obseruamus, vt vnica laesa protinus omnem reliquarum consensum intercipi videamus, Quare foetus, vt vt minimus sit, iisdem actionibus, sibi opitulantibus, viuere recte adseritur, ita quidem, vt vel pro organorum agentium perfectione, vel pro inde dependente efficacia tantum diuersitas enascatur. Interim, quod duplex homini data est substantia, mens atque corpus, illisque a se disiunctis mors etiam simul adest, non immerito in facienda continuandaque vita vtriusque huius substantiae aliquam partem esse, iure affirmari posse opinamur. Quid illud sit, quod mens confert, definire non audemus, et multum ab eorum opinione absumus, qui illam suum struere corpus statuunt [a]), qui illud etiam defendere et ad abigendas illatas noxas motus, in morbis conspicuos, excitare volunt. Praeter ea quoque ad scopum nostrum non spectat, quin potius ex adductis illud patere arbitramur, sine mentis corporisque coniunctione vitam hominis nec recte quidem cogitari posse, eoque confidentius, minimo foetui, ab ipso conceptionis puncto mentis coniunctionem cum corpore tribuendam esse censemus [b]). Mentio facienda erat huius conditionis, quod medico forensi a non paucis obiiciatur, *animationis* quem dicunt, foetus terminus. Multum enim torsit et antiquissimis temporibus philosophos aeque ac medicos haec sententia, recentiores quoque turbauit, et caussarum patronos, ad defendendum reum, nonnunquam fauentes inuenit. Praeterimus, quae ab

a) Contra eam opinionem multa habet HALLER Elem. Physiolog. Vol. VIII. p. 125.

b) Idem sentit ALBERTI Iurisprud. Medic. Tom. I. P. I. cap. VI. §. 3. p. 123. cum aliis. Id autem ea propter fieri autumat, vt anima fiat sui corporis artifex. Conf. D. MICH. ERN. ETTMVLLER progr. de termino animationis foetus incerto. Lipf. 1728. G. A. LANGGVTH de foetu ab ipsa conceptione animato. Viteb. 1742.

ab ARISTOTELE [c]) olim et HIPPOCRATE [d]) dicta ſunt, quippe quae in omnium fere medicorum forenſium ſcriptis adducuntur, quum mira in ZACCHIA [e]), FIDELI [f]), CANGIAMILA [g]) inueniantur et alii paullo poſt conceptum factum, tertium nempe diem alii ſeptimum alii id demum tempus adſumendum eſſe velint, dum in membris foetus aliqua perfectio conſpicitur, quae in eorum vel delineatione vel rudimentis conſiſtat. Hanc vero in maſculis intra dies triginta, in femellis intra quadraginta duos obſeruari, in quorum dierum numero definiendo tamen vbiuis varietas, vt ſupra ſexageſimum quemcunque foetum pro animato cum HIPPOCRATE habendum eſſe credat LOEWIVS [h]). In quibus, ſi auctoritatibus, nihil efficientibus, fidem detrahimus, rationes ſane nullibi deprehendimus vel veri tantum ſimilitudinem afferentes. Diu pariter explosus eſt animae humanae ex traduce ortus, poſtquam acutorum philoſophorum accurata ſubtilitate ex ipſius mentis natura eius ſimplicitas confirmata fuit. Nec, ſi foetus per aliquot tantum dies in vtero commoratus, increſcere deberet, ſine praeſentia mentis, more ſuo, atque ab omni reliqua humana vita diſcrepante, viuere deberet, vt ea propter ſupra a nobis adducta opinio magis corroboretur. Quodſi itaque vita minimi foetus ſimillima ſit vitae increſcentis et nati, refutatur omnis eorum error, qui ſibi perſuadent, leniori eos coercendos eſſe poena, qui primis menſibus imperfectioris foetus, conſilio et culpa abortum fecerint. Hominis enim vitam, vix

c) Hiſt. Animal. Lib. VII. cap. 4.
d) Περὶ ἑπταμήνου, et περὶ ὀκταμήνου, nec non περὶ φύσιος παιδίου.
e) Quaeſt. medic. legal. Lib. I. Tit. II. Quaeſt. IX. p. 51. Lib. IX. quaeſt. I. p. 685.
f) De relat. medic. Lib. III. Sect. 6. cap. I. ſeqq.
g) FRANC. EMAN. CANGIAMILA Embryologia ſacra. Venet. 1763. fol. p. 18. ſqq.
h) Theatr. Medic. Iurid. cap. I. §. 48. n. 6.

vix inchoatam ſupprimere, aeque magnum crimen eſſe videtur, ac illam delere, quae per aliquot iam tempus durauerit, quod ſpes prolis hoc facto protinus concidat. Interim inficiandum non eſt, hac de re admodum raro quaeſtionem in foro fieri atque ad medicos referri, niſi forſan aliqua rea, ſe multa, ad abortum faciendum, tentaſſe inculpetur conuincaturque. In quo tamen caſu perpendendum eſt, foetum minimum, immo et per aliquot menſes increſcentem, non infrequenter aut vteri vitio, aut aliis multis cauſſis, hic tamen ſtudioſius non exponendis, a ſua cohaeſione ſolui et perdi, nec non omnem ad deſtituendum foetum adhibitam vim parum quandoque valere, alias autem minimam eius vix praeuiſam reſolutionem producere. Tandem et hic ſigna vitae adeo ſunt abſcondita, vt niſi ex accedentibus quibuſdam conditionibus et iudicis diſquiſitionibus dilucidentur, a medicis in lucem nequeant protrahi. Si vero iam maturior factus foetus vtero excutiatur, de cuius vita nec dubitauit antiquitas, tunc ea quoque, quae nunc dicemus, omnia ad eum referri merentur. Nam illa incepta et continuata vita, ſi diuturnitatem habere debet, nouis quibusdam indiget neceſſitatibus.

§. III.

Vitae differentia ab aetate.

Quo vero pateat, vitam hominis per ſe diuerſam reddi, eas breuiter in mentem reuocare neceſſum eſt differentias, quas ipſa hominum aetas ſuppeditat, ex quibus, vt ſupra innuimus, eluceſcit organorum agentium et efficaciae modulum ſingulis ineſſe. Eae nimirum adulti hominis conſpirantes actiones, ex omnium viſcerum integritate, oſſium perfecta firmitate, nutritione ſufficiente, appoſitione adaptata deperditarum molecularum, per proprias vires paratarum, et menſura illarum virium, reſiſtentiis adaequata pendent, quibus cauſſis omnibus efficitur, vt in eodem ſtatu, certe per

aliquod tempus, corpus conſeruetur. Sicuti autem, quam primum hae cauſſae, aut remiſſius agunt, aut vires reſiſtentiis enatis aequabiliter non opponuntur, quod ingruente ſenectute fieri ſolet, vitae ratio immutatur, et vigor priſtinus perit, ita e contrario in foetu increſcente ſenſim coaceruantur momenta virium, ex addita ſingulis partibus ſucceſſiua perfectione coagmentata. Deſtinauit autem certum quoddam temporis ſpatium foetui cuique naturae auctor, in quo perficiatur, ſiue formationem pulli in ouo, ſiue ſucceſſiuum in vtero humano foetus incrementum contemplemur [i]). Quo ſuperato, maturitatem eius adeſſe dicimus. Nam, quo tenerius corpus eſt, et quo minus a ſua diſtat origine, eo magis vita eius mere paſſiua dici meretur, quum aliunde demum accedentibus ſuccis, vt in homine, maternis ſcilicet, viribusque mutuatis, nutriatur et parum de ſuis inquilinis addat. His itaque efficitur, vt ſenſim maior accedat firmitas roburque, quod tamen nondum ad vitam continuandam ſufficit. Niſi enim priorum cauſſarum, ceu potentiae agentis et ſuccurrentis, adiumentum additur, protinus pereundum eſt tenello foetui. Clarum id eſt, ex funiculi vmbilicalis hiſtoria, cuius ex vena ſanguis ad nutritionem faciendam aduehitur. Si enim per labefactatum eundem vel deſtructum, breui etiam ante partum tempore, intercipiatur liquidi huius vitalis acceſſus, vix non ſemper in ineuitabile foetus coniicitur mortis periculum.

§. IV.

Vitalitatis deſcriptio.

Vbi itaque perfectum, quem dicunt, maturitatis terminum attigit foetus, tunc eiusmodi inſtructum dotibus eſſe obſeruamus, quae ad vitam, ſibi ipſi ſufficientem, agendam ſatis idoneae ſunt, id, quod quotidiana experientia confirmat.

i) HEBENSTREIT Anthropolog. Forenſ. Sect. II. cap. I. §. 10. HALLER. Elem. Phyſiol. Vol. VIII. p. 421.

mat. Multa namque animalia et volatilia omnia, ex ouis prodeuntia, ſic ſibi viuere cognoſcimus, vt alienis vix opus habeant ſubſidiis, in aliis vero et in homine ipſo matris deſiderantur ſucci, et lacte illius debent ſuſtineri foetus. Nihilo autem ſecius vniuerſum corpus varias adhuc incompletas partes continet, iterum temporis ſpatio interiecto demum ſupplendas atque elaborandas, quod ex oſſium conſideratione, eorum augmento, firmitate, nexu, nec non ex viſcerum non nullorum, aliarumque partium ſolidarum habitu mutato, docetur a diſſectoribus. Neutiquam tamen haec inhaerens corpori imperfectio vitae detrimentum affert, quin, iis licet praeſentibus conditionibus, recte iudicetur in foro, viuere potuiſſe natum, eamque adeſſe aptitudinem, quae vitae prorogandae inſeruiat, quamque vitalitatem vocant. Contra, ſi ea inueniatur foetus editi conditio, quae luculenter monſtret, ſupereſſe adhuc multa euoluenda, addenda et elaboranda, quibus ille egere non poteſt, ad neceſſitates vitae verae, tunc etiam de vita eius, tum in partus tempore, tum extra vterum ambigua admodum redditur ſententia. Immo eius finem conſtanter ſequi debuiſſe, certiſſime adſeueratur a medico forenſi. Accedunt autem his aliae adhuc cauſſae, vt mala in vtero nutritio, grauidae morbi praegreſſi, iniuriae paſſae, ſimilesque, de quibus in poſterum dicetur, quae vitae vlterioris filum abrumpere poſſunt, ſed eae ex ſuis ſignis a medico dignoſcentur. Inutilem tamen vitalium foetuum diſtinctionem iudicamus eam, quae a numero menſium, per quos foetus in vtero enutritus eſt, deſumitur, et qui olim ex auctoritate HIPPOCRATIS, ſolebat reuerenter haberi, nolumusque recoquere eam de partu ſeptimeſtri et octomeſtri non aeque vitali opinionem. Non enim temporis decurſus, quippe qui ab ipſis etiam mulierculis ſaepe falſo numeratur, ſed corporis conditio, membrorum habitus aliaque medicum forenſem inſtruunt, ex quibus, num aptitudo ad vi-

tam, protrahendam et iuſte ducendam, adſit, iudicet. Obiici quidem nobis poſſet, imperfectos etiam mutilatosque foetus nonnunquam tutos in vtero vixiſſe atque partium reliquarum conueniens habuiſſe incrementum, vt in-acephalis et ſine cerebro natis, iis itaque non defuiſſe congruas vitae cauſſas. At, qui ita ſentiunt, non perpendunt, in vtero hos per matrem vixiſſe foetus, extra vterum autem nec per tantillum temporis punctum ſuam protrahere potuiſſe vitam, eaque propter ob deficientem ad aliam vitam diſpoſitionem pro vitalibus eos aeſtimandos non eſſe. Monemus tandem, in eiusmodi caſibus, quod nec culpa nec dolus in parientem cadit, ipſaque inſpectio et aperta viuendi impoſſibilitas rem decernit, ream quoque a iudice abſolui. Accidit autem frequentius, vt explorandus medico proponatur per partum editus infans, mater vero neſciatur, ſi v. c. expoſitus inueniatur ille, quare de accedentibus, quas diximus cauſſis ille referre ad iudicem accurate nequeat, tunc neceſſe eſt, vt perpendat omnia in nato occurrentia phaenomena eaque rite annotet, quo, matre detecta, reliqua ex doctrinae ſuae fonte perquirens adiiciat, vel, vt ex fide dignis teſtibus, ſi haberi queant, certiora ſciantur, iudici committat.

§. V.

Signa vitae: α) *ex ſuperficie corporis.*

Vitalis ergo foetus ſecum affert aliqua indicia, ex quibus palam fit, eum etiam hanc inceptam diutius prorogare vitam poſſe, ni impediatur a variis, ipſi oblatis, grauibus ac vitae inſidioſis impedimentis. Ex quibus indiciis itaque primo ad ſuperficiem corporis reſpiciendum eſſe arbitramur, quippe quae oculis primum oblata eſt intuentium. Sed, quoniam ita corpori ſuperinducta ſunt integumenta, quae communia vocantur, vt nulla pars corporis ab ipſis non inueſtiatur, ea integra inueniri opus eſt, nitidaque vbique et quaſi expanſa. Quae etenim ſulcata et praeter naturam variis inſtructa deprehenditur rugis cutis, vt fluctuet quaſi,

nec

nec cohaereat, eam iam ante partum ſufficienter enutritam non fuiſſe, inde diſcimus. Eſtque ſimul ſtudioſe diſcernendum, num ante aliquot iam dies natus fuerit infans, nunc diiudicandus, quod per ſigna putredinis dilucidatur, num vero recenter demum excluſus habeatur. In quo poſteriori caſu non parum iuuat inquinamentorum, quae ab vtero adhaerent, et liquoris amnii quisquiliae ſunt, praeſentia. Hae nempe puritatem tegumentorum minuunt, et ab aere externo in albidum ſplendentem quaſi mucum conuertuntur, qui tepida aqua adhibita facile ſolui detergique poterit. Suprema etiàm cutis lamina ſeu cuticula, tunc plerumque firmiter adhaereat et rudiorem paullo ferat frictionem, quae, ſi citò et facillime ſeparatur, non leue putredinis iam incipientis ſignum eſt. Siquidem in viuente etiam homine, quod tenerrimorum vaſculorum apices eius textum efficiunt, videamus conſuetos eosque non leues attritus ſine iniuria perferri, a quibus ſane in vtero contentus foetus viuus, qui aquis innatans molliter habetur, immunis cenſetur, vt ea propter iam ante mortem cauſſam aliquam adfuiſſe, quae huius epidermidis et cutis reliquae nexum turbauerit, iure cenſeatur. Hanc vero aliam inuenimus nullam, quam quae a defectu nutrientium ſuccorum in acri putredinis natura ponitur. Emolliunt quidem aquae, corpori circumfuſae noſtro, praecipue ſi illae tepidae fuerint, prout in lotricibus quotidie videmus et defoedant cutim rugis, ſed hunc etiam effectum ab aquis vterinis metuendum non eſſe, et in omnibus recens natis habenda experientia confirmat, et aeris, quae ad vterum penetrare nequit, abſentia et tandem ipſa virium vitalium efficacia. Aliter e contrario ſentiendum eſt de foetibus, in aquas proiectis, ibidemque per aliquot tempus reſtitantibus, quibus rugoſa et flaccida redditur cutis, ex totius tamen corporis intumeſcentia oedematoſa non obſcure coniicienda cauſſa. Vbi vero tempus, a quo iam

enixus fuit foetus, non latet, ibi simul cum his, si insufficientia visa fuerint indicia, alia combinantur, liuor praecipue, in maculas aliquando latas diffusus, viridescentem vel ex rubro et coeruleo variegatum colorem cutis efficiens, quippe qui non leuiorem, sed iam maiorem, a putredine factam, resolutionis humorum ipsiusque sanguinis fatiscentis corruptelae gradum designat, atque magis docet, recens nati vitam diu extra vterum durare non potuisse, quae iam sui partem antea perdiderit, praecipue, si in vesiculas, sero turgidas, cuticula exsurgat, gangraenae sphacelique accessum manifesto innuentes. Si etiam tunc ex naturali intestini recti orificio, meconium exeat, vixisse in partu foetum non nulli adserunt, quod tamen ad vitam, post natiuitatem actam, cognoscendam nihil facere, cum et mortuis fluat, adstruit HEBENSTREITIVS [k]), nisi forte ipsa, de qua alibi exponemus, partium interiorum disquisitio, magnam intestinorum crassorum euacuationem factam fuisse declaret. Vix autem attinet dicere, clausum et concretum ani orificium, vel alios meatus nondum apertos, non vitalem foetum indicare, vt HIPPOCRATES vult, cum huic etiam asserto refragetur medica experientia et illis malis tollendis auxilia praecipiat chirurgia. Maior tandem et confidentior est in totius corporis membrorum proportione vitalis foetus significatio, quam vero talem adsumimus, vt decens eorum ad se inuicem relatio sit. Licet namque ea ad amussim haberi nequeat, atque in magnitudine aeque ac in reliquis conditionibus diuersarum partium in viuis etiam hominibus innumera pene sit discrepantia, communis tamen cognitio, et quam anatome suggerit, quid deficiat, vel supersit, medicum poterit certiorem reddere. Adnotentur autem simul ante omnia, quae supra de vitalitate diximus, et quae ad incom-

k) Lib. cit. Sect. II. membr. II. cap. II. §. 31.

incompletam membrorum conformationem pertinent. Leues quidem defectus, vt digitorum coalitus, in manibus forte pedibusque obuios, non curamus, quos alii [l]) ad imperfectum foetum referunt, cum vnusquisque has partes, similesque deficientes vel mutilatas vitae insidias non struere intelligat. Magis ad conformationem capitis, pectoris, immo etiam imi ventris respiciendum est, collatis ibi reperiundis mutationibus cum illis naturalibus, quas anatomes beneficio medicus nouerit. Sic nimirum ab aquis intus susceptis nimium turgens caput siue hydrocephalus, valde angustatum compressum et vix sufficienter dilatabile pectus, abdominis angustia eiusque nimia breuitas, circa vmbilicum retractio, magis si simul fuerint cuncta haec momenta, vel si seorsim aliqua appareant, aut similia, de vitalitate ambiguum reddunt iudicium. Interim membrorum omnium efformatio perfecta in foetu, cuius naturam solerter exposuit ROEDERER [m]), ita militat pro vita, vt de illa praesumtio non incerta fiat.

§. VI.

Quam quidem maturitatis et vitae continuandae suspicionem simul porrigunt capilli et crines, capiti inhaerentes superiori. Mirum quidem est, quod, quum pilorum sedes profunda sit sub cutis infima superficie, ibidemque ex bulbillis suis vegetabilium more propullulent [n]), eos tamen a reliquis, nutritionem sufficientem corporis producentibus, caussis non excitari, sed derelictos quasi diu immutatos persistere, deinde etiam aliquos demum prorumpere, aliis semper adhuc intactis et quiescentibus. Siquidem in natis et recte

β) *ex pilis.*

l) ZACCH. l cit. p. 48. LOEW. theatr. p. 24.

m) Diss de foetu perfecto. Goetting. 1750. in Opusc. medic. Gotting. 1763. 4. editis p. 71. sequ.

n) Naturam pilorum egregie declarat LVDWIG Diss. de humore cutem inungente, Lips. 1748.

recte valentibus pueris obſeruatio doceat, barbam et pubem ſtato tempore progerminare, vt non incongrue inde perſpiciatur, ad incrementum pilorum aliquem requiri corporis vigorem et virium eam menſuram, quae ſit ſuperior neceſſitatibus nutritionis debitae faciendae. Confirmatur id exinde, quod foetus tenellus adhuc ſuo toto corpore politiſſimus inueniatur, nec in capite minima capillorum lanugo appareat, et quod vltimis demum menſibus capillitio inſtruatur. Ex quo conſequitur, vt, dum natura in reliquis partibus perficiendis occupata eſt, ea ad has non niſi aliis perfectioribus redditis, deueniat, medicus itaque ex repertis in capite pilis, maturitatis pene terminum et vitalitatis ſignum dignoſcat. Interim, quae in copia ſeu multitudine, longitudine et colore non raro occurrit diuerſitas, ſingularis notae momentum non eſt: nimis enim ſubtiliter argumentaretur, qui imbecilliorem paucis et breuibus, fortiorem multis et longis capillis ornatum iudicaret foetum. Adultis ſane eadem ratio eſt, nec robori corporis inde quidquam detrahitur, niſi ab aetate cauſſae quaedam deterioris nutritionis ſimul acceſſerint, in primis, quod primum nati infantum capilli frequentius ſenſim iterumque cadere ſolent.

§. VII.

γ) *ex vnguibus.* Eadem ratio vnguium eſt, laminarum ſcilicet earum cornearum, quae apicibus vtriusque extremitatis digitorum appoſitae conſpiciuntur. Nam et hi ex profundioribus locis enaſcuntur et ex perioſtei continuatis fibris promanare dicuntur [o]). Ea vero eſt tenuioris et immaturioris foetus conditio, vt licet iam fiſſa manus et in digitos diremta, ſicuti pes extremus, appareat, obtuſus tamen digitorum apex vnguiculos nondum oſtendat [p]). Si paullo maturior euaſerit

o) Conf. LVDWIG de ortu et ſtructura vnguium progr. Lipſ. 1748.

p) HIPPOCRATES: περὶ ἐπικυήσιος: de immaturo foetu ſcribit ἡ σαρξ ὑπερέχει τῶν ὀνύχων. Οἱ δὲ ὄνυχες ἐλλείπουσι τῶν χείρων καὶ τῶν πόδων. Et

rit ille, habet quidem delineatorum vnguium formas, ſed molles, flexiles, membranaceos fere, quae duritiem pene corneam vltimis geſtationis menſibus demum acquirunt. Cauſſae, duriorem hanc ſubſtantiam compingentes, non ſatis quidem manifeſtae ſunt, eas tamen ab aere deducendas non eſſe, ſuadet illa vnguium durities, quae cornea ſtatim in maturo recensque nato infante, dum ex vtero prodit, detegitur. Vt exinde ad eam praeſtandam efficiendamque vim vitae non exiguam requiri recte arbitremur, et eos ad perfectioris foetus ſigna referamus, praecipue, ſi eos cum cute ita cohaerere videamus, vt quamuis omnia mollia, et cartilaginea pene ſubſint oſſicula, aliqua tamen ad eos reſolvendos opus ſit vi adhibenda.

§. VIII.

Ingens etiam illa, quae a tenerrimo puncto ſurgenti foetui accidit, nutritio, ſicuti corneos indureſcere facit vnguiculos, ita quoque ſenſim in oſſibus eam, quae duritiem ipſis conciliat, materiam congerit, ita, vt oſſificationis hiſtoria omnino poſſit aetatis atque maturitatis foetus ſigna aliqua exhibere. De his vero nunc diſſerere ſuperſedere poſſemus, quod ex propoſito nobis ſcopo externas tantum notas diiudicare animus eſt, et in medicina legali oſſium diſquiſitio minus frequens eſſe ſolet. Attamen huius perſcrutationis neceſſitas ingruit, ſi forte talis demum offeratur foetus, qui iam per longum tempus ſepoſitus, partes molliores omnes putredine reſolutas habeat, vt earum indoles plane nequeat diſquiri, nec niſi oſſa ſuperſint. Quandoquidem ex his ſolis corpus delicti certum de vita foetus reddi non poteſt, quin potius ambiguum ſignum praebeant, ſunt tamen in oſſibus ſigna ſufficientia de aetate foetus, quibus

a) *ex oſſibus.*

Et HALLER l. cit. Vol. VIII. p. 423. ſeptimeſtrem foetum vnguiculos nullos habere.

bus edoceatur physicus, num, quem pro abortu excluso venditat rea, cuiusque mors ipsi imputari non debeat, inter eos quoque sit referendus. Sic, vt ex multis tantum capitis mentionem faciamus, centra in ossibus eius iam indurata, ossificationis puncta nominant, reliquo ambitu molli et membranaceo, in immaturo foetu reperiuntur, longa etiam sic dicta ossa extremitates informes, cartilagineas referunt, carpi tarsique ossicula pene omnia absunt, nec nisi punctula quaedam adhuc continent, sternum, nucleis osseis diuisum, apparet, vt reliqua taceamus, quae in his determinandis osteogenia suppeditat [q]). Scrupulosior sane indagatio adhuc plura, neque tamen, si soli huic signo fidere velimus, exceptione maiora argumenta exhibet, quod ex studiose collectis conditionibus ab HOFFMANNO [r]) clarum est.

§. VIIII.

s) ex nutritione,

Deinde in foetu ipso nutritionis, ad illud tempus factae, quod spem facit vitae continuandae, ratio ex signis, in habitu corporis externo inueniendis, habetur. De cute supra §. V. diximus. Ea vero, si rugis et sulcis destituta est, vbiuis quasi repleta, egregium nutritionis rite factae indicium praebet. De quo eo minus dubitandum est, quod foetus aliquando, abortu reiectos, trium quatuorque mensium [s]), quos casus excusserat ex matribus, ceteroquin sanis, ita plenos conspeximus, vt turgidi quasi viderentur. Longe

q) Obuersari potissimum debent animo medici perscrutantis, quae accuratissime exponuntur a BERN. SIGFR. ALBINO in Icon. Oss. Fetus hum. Leid. Batan. 1737. 4. et in KERCKRINGII Osteogenia foetuum. Amsteld. 1670. 4.

r) D. WILH. CHR. HOFFMANN disquis. de ossibus fetus. quatenus inseruiunt eiusdem determinandae aetati in casu suspecti infanticidii. Francof. et Lips. 1751. 4.

s) In embryone trium cum dimidio mensium, abortu reiecto, qua faciem externam, nitidissime descripto in progr. a G. A. LANGGVTH Viteb. 1751. *artus superiores et inferiores admodum torosos* animaduertit p. 8.

Longe etiam plures foetui ac nato fontes conceſſos eſſe conſtat, ex quibus nutritio deriuetur. Siquidem non ex bene praeparatis et elaboratarum molecularum congerie onuſtis ſuccis tantum, iisque a matre aduectis, corpus ſtruitur, ſed in ſuo quoque corpore foetus glandularum quarundam officiis vtitur, quae natis nulla ſunt, vt itaque facile in eo abundans nutritio fieri debeat, toroſus euadat, omniaque membra, nunc natus, rotundula habeat, licet mollities imbecillitatem roboris oſtendat. Haec ipſa tamen mollities telae celluloſae, ſub cute reperiundae, diſtentae ſignum, adipis collectionem factam eſſe ſignificat, quam a lymphaticis particulis nutritiis deducunt phyſiologi, quaeque in futuros reponatur vſus. Marcor itaque corporis, flaccidus eius adſpectus, facies torua, quam ruga ſenili ſimilis arat, membrorum deficiens repletio, in foetu ſatis teſtantur vitam, quae in vtero iam ita comparata non fuit, vt euoluendis partibus par ſit, eam quoque extra vterum viuenti ſufficere non potuiſſe. Copioſiſſima quoque, quae in foetu adſunt vaſcula, et rubicundum externi corporis vbique colorem faciunt, ſuis deſtitui ſanguineis humoribus per pallorem ſi docent, debilem vitam manifeſtant, arguuntque vitalitatis penuriam. Quodſi nihilo minus poſt partum denatus ſit infans, et tunc liuida in ſuperficie ſtigmata cum his ſignis obſeruentur, tunc cauere debet medicus, vt violentiae adhibitae ſigna aeſtimet, quae ex humorum ſpontanea reſolutione naſcuntur, euidentius adhuc, ſi maculae, putredinis teſtes §. V. deprehendantur. Non poſſumus tamen non adnotare, conſtantiora adhuc ſigna colligi poſſe, ſi nempe nutritionis foetus doctrinam plene intelligere velimus, ex ſtatu matris, dum vtero gerebat, ſuumque nutriebat embryonem.

§. X.

s) *ex pondere.* Haec quoque nutritionis historia sponte nos ducit ad pondus, quod foetui naturale est, considerandum. Incipiamus autem a maturo, per nouem consuetos menses gestato. Qua in re facile quidem largimur, non vnam sed multiplicem varietatem esse debere, idque haud immerito coniici a rerum peritis, quum omnis conditio redeat ad nutritionis in vtero diuersitatem. Nec negamus, robustas, labore induratum corpus habentes, rusticasque matres, vt meliorem praebent infantibus succum, ita etiam prae tenerioribus, vrbanis et delicatulis femellis, ponderosiores eniti foetus, vt certam ponderis normam inuenire sit impossibile. Inter ea tamen, quod ea foetus incrementi in vtero est ratio, quae ab euoluendarum partium perfectione et ab vteri cedentis resistentiis definitur, quos, si attigerit foetus, fines, in vtero amplius retineri nequeat, sed emittatur, parum vtique erit in vitae genere et reliquis conditionibus diuersitatis, quae certum quoddam pondus non admittat. Licet autem inter tot foetuum disquisitiones propter reliquorum signorum sufficientium syndromen mihi eam necessitatem nondum obuenisse ingenue fatear, quae pondus recens nati trutinari absolute exegerit, idque nostrates etiam feminae, aliquando superstitiosae, admittere recusent, tam multae tamen, a ROEDERERO t) factae experientiae, et in maturis aeque ac immaturis foetibus coeptae, in centum et tredecim diuersis subiectis, quibus pondus maturi septem inter et octo libras ambigere obseruatur, vt iis adstipulemur, fere nos cogunt. Adnotauit quidem HALLERVS v), neogenitorum pondus ad nouem, decem, duodecimque libras, quot

t) Diss. de temporum in grauiditate et partu aestimatione. Gotting. 1757. in Opusc. p. 29.

v) Elem. Physiolog. Vol. VIII. p. 372. et p. 416.

quot ſint nouem menſium periodicae expenſae ſanguinis [x]), adceſſiſſe, immo CRANZIVM foetum viginti trium librarum, alium viginti ſeptem reperiſſe; nec non LOESEKIVS [y]) viginti libras et vltra, tanquam naturae conuenientes adſumit, ſed hae diſcrepantiae eo minus inutilem aut ineptam ponderis animaduerſionem reddunt, vt potius, ſi cum aliis conferantur conditionibus, inde ſatis diſtinctum euadat de maturitate foetus iudicium. Quod ad eam molem corpus tenellum deuenire non potuiſſet, niſi ea adfuiſſet virium vitalium quantitas, quae ad illam ſuſtinendam requiritur et quae porro illam fulcire valet, ita quidem, vt regulam ponat ROEDERERVS: *Immaturorum foetuum pondera inter quintam ſextamue libram media eſſe, maturorum ſex libris raro minora, immo immaturum foetum certa fide non probare ſexta libra pondus inferius, ſed probabili ſaltem, et ex comparatis reliquis indiciis limanda.*

§. XI.

Eodem quoque modo de longitudine foetus et certa inde ſumenda menſura iudicandum eſt. Etſi in hac, vt mox monſtrabimus, conſtantiorem quandam normam obſeruauerimus, tamen eorum iterum vix euitare poterimus dubitationes, qui, praeter ſupra adductam hominum diſcrepantiam, grauidae ſtaturam bene penſitandam eſſe autumant, quoniam abdominis, quibus coercetur vterus, limites magis extenſionem foetus, quam molem eius definiunt. Fauentia quoque huic opinioni aliqua habuimus exempla foetuum, ex ordine naturae natorum, ſed exiguorum, quorum vero matres, paullo ſtudioſius examinatae, in partu quidem ſanae, tempore geſtationis tamen variis conflictatae ſunt morbis, ſine dubio non adeo egregiae nutritionis et incre- *ζ) ex longitudine.*

 menti

x) Sed ſanguinis etiam menſtrui pondus variare probat alibi. IDEM Vol. VII. Part. II, p. 145.

y) Phyſiol. cap. 35. §. 427.

menti auctoribus. Porro ſtaturae diuerſitas in gemellis conſpicitur, quorum alter magnitudine non raro ac robore alterum ſuperat, et quorum multa notata legimus exempla, vt etiam ſuperfoetationis lubricae hypotheſi inde argumentum ſumi ſoleat. Staturam a matre patreque deriuandam eſſe coniicit HALLERVS [z]), quam vtriusque parentis ſaepe diſcrepans longitudo vix determinare permittit, ſi recte ſentimus, ni crebrioribus obſeruationibus veritas confirmetur. Longitudinem recens natorum plerumque viginti vnius pollicis eſſe PETITVS [a]) adſerit, atque vix decem, ſupra pedem vnum, pollices maturos foetus attingere ROEDERERVS [b]) auctor eſt, intercedentes etiam differentias ex permultis obſeruationibus collectas definit. Cum quo noſtrae etiam conſpirant adnotationes, quibus conſtitit, viginti et vnum, non raro duos, pollices vlnae Lipſicae adaequaſſe plerosque, aliquos ad decem et nouem acceſſiſſe, duos etiam viginti et quatuor pollices pene ſuperaſſe, hos vltimos autem a ruſticis matribus progenitos fuiſſe. Hoc itaque et ponderis phaenomenon, normam exhibebit, ex qua non plane inanis ad vitae praeſentiam neogeniti concluſio fieri poteſt a medico legali, quod vtique vltimis menſibus grauiditatis longitudo minus ac molis augmentum creſcat, hinc, quae pede vno et dimidio minor non eſt, perfectionem euolutionis praeſagiat, quae ceteris phaenomenis certior euadat.

§. XII.

) ex funiculo vmbilicali.

Porro, qui primam et vltimam foetui nutritionem liberaliter porrigit, funiculus vmbilicalis conſiderandus eſt. Succis ille vitalibus, qui ad foetum feruntur, et ab eo recedunt,

z) Lib. cit. p. 424.

a) Hiſt. d. Acad. Roy. de Scienç. a Paris. Ann. 1733. p. 1.

b) Opuſc. citat. p. 46.

dunt, irrigatus perpetuo, externis ſuper inductis inuolucris, ita tutus praeſtatur, vt vaſorum licet vario flexu, progreſſus tamen intus contentorum humorum non impediatur, quamdiu nexus funiculi manet atque placentae in vtero. Si autem eueniat, vt funiculus, reſtitante adhuc in vtero foetu, rumpatur aut deſtruatur, niſi breuiſſimo ante partum tempore id contigerit, valde dubitamus, num ſupereſſe diu foetus poſſit, aut vitam extra vterum vlterius durantem recipere, quum reliquae, quae foetum ſeruare creduntur ab aliis propoſitae viae admodum ſint obſcurae et incompetentes [c]). Nec de his quaeſtio in foro mouebitur, quod foetus ſine vmbilicali funiculo natus, ex iam dictis cauſſis merito pro tali habetur, qui matris culpam in ſe nullam agnoſcat. Ex praeſente e contrario funiculo ſemper indicia requiruntur, quae vel de vita in vtero teſtantur, vel eam poſt partum adhuc declarant. Longitudinis eiusdem, licet homini inter reliqua animalia maxima ſit, diuerſa quidem eſt ratio, is tamen aliquando, ſi aliena occupet loca, et v. c. collo obtorqueatur, [d]), nec prudenti manu obſtetricantis, vt artis eſt, in partu remoueatur, ſuffocationis periculum inducere valet. Quare tunc medicus legalis ſigna, in corpore conſpicua, teſtes antegreſſae ſuffocationis, colligere debet, non poterit tamen, ſi aliunde cognoſcatur, parientem ſolam fuiſſe, foetumque auxilio deſtitutum, in matrem culpa ſola coniici, quae etiamſi cupida, noxam auertere nequiuiſſet. Ceterum eadem longitudo couueniens motum et incrementum foetus in vtero liberum fuiſſe denotat, et reliquis ſignis vitae felicioris adnumerari poteſt. Gracilis autem, collapſus, et rugoſus, qui eam, quae vaſa eius intercedit, ſpongioſam gelatino-

c) Legi meretur. G. A LANGGVTH. Diſſ. de nutritione fetus per ſolum vmbilicum. Viteb. 1751.

d) HEBENSTREIT Anthropol. Sect. II. membr. II. cap. II. §. 44.

tinosamque substantiam nimis parcam obtinet, aeque ac colore peregrino, flauescente vel nigricante imbutus, magis, si eius quoque tegumenta putredine secedant, vel totus mollis, facile fatiscens, id, quod prae reliquis partibus hic citius fit, reperiatur, in neogenito certum dat, vitae iam ante partum suppressae, indicium, cui adstipulari debent aliae, in corpore obseruandae conditiones. Quod vero in cadauere non effluit sanguis, nisi summa putredine, fermentatione quasi facta, excussus, vacui et sanguine destituti funiculi, cum integritate reliqui corporis animaduersio, vitae etiam post partum testis haberi poterit, si cadaueris dissectio vasorum interiorum vacuitatem significet. In primis, si nimis breuis ab exitu eius in corpore contigerit resolutio, quae in foro praecipue attendi meretur. Quaeritur etiam, an resectus ille vel dilaceratus, nec vinculo constrictus, vitae magis insidias faciat nec ne? In vtramque autem partem multum quidem disputatur ab auctoribus, circumspecte tamen iudicandum esse remur, denuoque monemus, solum hoc signum fidem non facere. Quo longior enim funiculus, omnium minime si cum placenta connexus, generatur, eo difficiliorem haemorrhagiam letalem futuram esse opinamur, nisi nimis praecox, in vegeto foetu, eius separatio tentetur, id, quod etiam stantibus et praecipitem foetum emittentibus, matribus accidere potest Siquidem vigor circulationis ad has partes sanguinem determinet, libereque eum effundat. Perinde nihilo minus est, siue resecetur, siue disrumpatur, vita namque foetus confirmabitur ex his tunc demum, si reliquarum et internarum partium scrutinium suscipiatur simul.

§. XIII.

3) *ex sugillationibus.*

Pergit autem in perquirendo corpore foetus, de vitae certitudine stabilienda sollicitus medicus, vt post mortem apparentia stigmata liuida, rubicunda vel alius coloris, supra

§. IX.

§. IX. adducta, num vitae poſt partum praeſentis vel mortis antecedentis effectus ſint, curatius diiudicet. Multum certe intereſt iuſtitiae, certa poni, ne inſons ſeueriori ſententia grauetur. Quippe quum et noſtris temporibus quibusdam, exterioris ſuperficiei a ſtatu ſano recedentem mutationem coloris quamcunque vitae naſcentis ſignum offerre, arrideat opinio [e]). Et, licet facile largiamur, in cadauere iam frigido, coagulati ſanguinis maſſam ex vaſis exire multo minus ex minoribus exprimi non poſſe, hinc maculas etiam non excitari: tamen non adeo difficulter veritas eluceſcet, ſi alibi iam apparentes putredinis notae affirment, eas, quae ſuperficiem tantum alieno colore pingunt, nec profunde penetrant, effectus huius cauſſae exiſtere. Quoniam perſpicuum eſt, putredinem, denſas ſolidasque partes deſtruentem, ad ſoluendos ſuccos minimaque vaſcula eo magis aptam fieri, idque eo citius poſt mortem contingere, ſi conditiones aliae, vt tempeſtatis calidioris, foetus ſub ſtragulis retenti, vel ſimiles concurrant. Sed, ſi rubicundus ſanguis, ex vaſorum receptaculis emiſſus, ſub cute haereat, eamque in tumorem excitet, tunc ſerius ea de re cogitandum eſt. Si enim demortuum demum natum fuiſſe ponas, in vtero iam ſugillationes factae praeſumerentur, quod ob vteri amplitudinem, et aquarum circumfuſarum defendentium copiam, partiumque mollitiem nullam veri prae ſe fert ſimilitudinem: ſi vero in partu ipſo excitatas eſſe ſtatuas, tunc non deerunt alia ſigna, ex quibus certiora intelliguntur. Partui enim difficultates multae obiiciuntur. Fieri itaque inter alia poteſt, vt caput vel diu impactum haereat in exitu, compreſſa ergo integumentorum vaſa et rupta ſanguinem fundant, vel obliquus eius ſitus ſit, id, quod

e) Nihil certi e contrario in hoc genere medicum poſſe aſſerere, nimis inſufficienter ſtatuit FORTVN. FIDELIS de relat. med. Lib. IV. Sect. V. cap. 2.

quod, ſi ex matris etiam confeſſione non conſtet, ex figura capitis, plerumque elongata, ex faciei tumore, tandemque ex interiorum viſcerum diſquiſitione pateſcet. Cautos eam ob cauſſam iuniores medicos eſſe volumus, ne in ſectionibus, ob ſanguinis, ſub capitis integumentis aut ſub pericranio praeſentiam, violentiae externae teſtem certum ſe deteXiſſe concludant. Idem eſto de extrauaſato in dorſo et ſcapula deprehendendo ſanguine iudicium. Eſt quidem infallax vitae, in partu adhuc vigentis [f]), indicium, violentiae vero accedentis ambiguum, ad cuius confirmationem pluribus, ex cadauere collectis ſignis opus eſt. In memoriam venit recens nati pueruli, nuper in foro diſſecti exemplum, cuius in capitis ſiniſtro latere, ab auribus ad collum vsque plures rubicundae diuerſae magnitudinis maculae detegebantur, immo ſimiles thoracis latera ad coſtarum ſpuriarum ſedes vsque occupabant, quae, dum ſtudioſe corpus abluebatur, non diſparebant. Remotis etiam integumentis, in his diſtenta vaſa occurrebant, nihil autem illius erat effuſum. Sub pericranio quoque ſupra os bregmatis ſiniſtrum ſerum, ſanguine tinctum, ſed parca quantitate, aderat [g]). Vitam foetus in partu adſuiſſe negandum non eſt, eam tamen extra vterum non continuaſſe, ſuadebant pulmones ſubſidentes, nec a matris culpa foetum periiſſe, omnis exterioris laeſionis abſentia aſſeuerabat, turgida etiam et plena cruore omnia conſpiciebantur vaſa, nec durae piaeque matris et plexus choroidei exceptis. Nimis autem elongatum, compreſſumque caput et pectus quoque ſiniſtrorſum vehementer obliquum redditum, partum difficilem fuiſſe, in exitu foetum ene-

f) Quod pluribus argumentis confirmat H. F. DELIVS in diſſ. Sugillatio. quatenus infanticidii indicium. Erlang. 1751

g) Serum ſanguinolentum ſub caluariae integumentis phlegma partu duriore collectum nominat. HEBENSTREIT l. c. §. 43. et LVDWIG Inſtitt. Med. forenſ. §. 268. ſeq.

enecantem, oſtendebant, vt cum fiducia renuntiari potuerit, mortuum fuiſſe natum.

§. XIV.

Non ſolum autem extra vaſa ſubſiſtens ſanguis vitae eſt confirmatio, ſed etiam, ſi omnis ex vaſis effluxerit, vt pallidum corpus nati eodem deſtitutum occurrat, ſine hac id non contigiſſe, iure cenſetur. Effluit autem ille per vmbilici vaſa aut per externa illata vulnera. Haec aeque ac laeſiones aliae quaecunque etſi inquirentibus ſponte patent, non tamen protinus, an vitam ademerint, manifeſtum eſt, praecipue, quodſi per reliquas notas vitae praeſentis certitudo nondum eſt reddita. Sicuti vero in laeſionibus inquirendis primo occupatur medicus, ne aliarum partium diſquiſitione laeſi loci mutatio quaedam producatur, ita etiam per partium adfectarum cognitionem demum definiet, quantum interſit vitae integritati harum partium oblata deſtructio. Sed quis eſt, quin intelligat, externi corporis indagationem non ſufficere, ſed ad interiora penetrandum eſſe. Leuiores certe integumentorum corruptelae, etiam animo occidendi inflictae, vitae durationi nihil detrahunt, immo luxationes, fracturae artuum reſtitui poſſunt arte chirurgica, et rarius periculoſae euadunt neogenitis, vt iudicis potius, quam medici ſit in ſimilium laeſionum occaſiones inquirere. Vnicum tantum momentum adducemus, fonticuli nempe ſeu fontanellae, cuius depreſſionem inter ſigna illatae vis externae referre ſolent. Quum enim rhomboidalis ille ſincipitis hiatus ſubiectam habeat nobiliſſimam cerebri partem, eius ſane compreſſio animales vitalesque functiones debet eo certius delere, quo fortior vis adhibetur. At in mortuo ſubſidens cerebrum etiam huic loco ſpontaneam permittit depreſſionem, quae, niſi iniuriae perpeſſae externa ſigna, vt liuidus

*) *ex laeſionibus externis.*

circulus [h]), vel alia occurrant, demum ex ipſius encephali et vaſorum ſanguiferorum ſtatu penitius diiudicatur.

§. XV.

κ) ex calore, motu poſt partum et ſpuma oris.

Ab illis nunc ſignis, quae in mortuis, quos in foro diſquirendos ad vitae rationem reddendam habemus, infantibus detegimus, ad ea veniendum eſt, quae in viuis adhuc conſpiciuntur. Sed, pauciſſima de his dicenda ſunt, quod nemo, ſi circulationem et reſpirationem videat, de vita dubitet. His eminentibus tamen actionibus non ſatis diſtincte apparentibus, ad calorem in mox nato deprehendendum, ad motum, ab illo praeſtitum, et ad ſpumam, in ore conſpicuam, prouocatur, tanquam ad fida poſt partum viuentis indicia. In illis autem, quae clanculum pepererunt, haec, etiamſi confeſſae fuerint, tamen dubitationibus obnoxia ſunt. Calere namque poſſunt neogeniti, quibus mox in partu vita ademta eſt, perdunt autem calorem, viribus internis non ſuſtentatum, ocyſſime. Deinde in partu iam ſuffocati, eximio docente ROEDERERO [i]), artus quandoque mouent, nec vlterius viuunt. Niſi ſubtilius vitam, profecto imperfectam, dicere velimus, quae in moliminibus ſine effectu conſiſtit, quae etiam, ſi alia ſigna reſpondent, ab inſuperabilibus in corpore obſtaculis mox praepeditur. Spuma tandem, ſi in vniuerſum abeſt putredinis ſuſpicio, a viſcido, natura faucibus inhaerente, ſub vel poſt partum poteſt excitari. Quare adnotari quidem debent haec, ſed ad enucleanda illa phaenomena denuo alia requiruntur ſubſidia.

§. XVI.

λ) ex placenta.

Craſſa tandem, ſpongioſaque ſecundinarum pars, quae placenta appellatur, et quam partem foetus nuncupat HARVEVS

h) Exemplum adducit ALBERTI L. cit. P. II. p. 119.
i) Obſeruatt. de ſuffocatis ſatura. Obſ. 4. ſqq. Opuſc. p. 291. ſqq. vbi ſimul reliqua conſideranda momenta traduntur.

VEVS [k]), vitalitatis documenta praebere creditur, dum illa vel ſimul cum foetu ſequitur, vel ſucculenta et turgida occurrit atque magnitudine ſua ſpem facit ſufficientium per eam adductorum ſuccorum. In his tamen notis nihil eſt perpetui. In facili namque aeque ac in difficili partu nunc facilius nunc aegrius ſecedit placenta, nec non parenchymatis eius maſſae et magnitudinis frequens occurrit diſpar ratio. Si vero in flocculos ſecedat, mox extracta, vel per partes ſoluatur et putredo appareat, tunc euidentius ſane in vltimo ſtadio geſtationis embryonem male nutritum fuiſſe indicat, et cum ſignis deficientis nutritionis in foetu §. IX. conferri meretur.

§. XVII.

Poſſunt autem, ſi matris ſimul copia detur, in eius quoque corpore, ad diagnoſin vitae foetus probabiliorem reddendam, notae quaedam inueniri, quae ad tria genera referre liceat. Alia nempe anamneſtica ſigna ſunt, de ſtatu ſanitatis in grauiditate, alia in partu, alia poſt eum adnotanda. Sed in anteceſſum monendum eſſe arbitramur, haec fere omnia mature colligenda eſſe, quum breui poſt partum abſolutum tempore vel euaneſcant, vel ad demonſtrationem inutilia euadant. Sanam geſtationis tempore grauidam communia indicia ſanitatis docent, medico ſuae artis gnaro non obſcura. Magna deinde bene valentis foetus praeſumtio eſt, ſi grauida nec leuioribus quidem, multo minus grauibus conflictata fuerit morbis, ſi vehementiore animi commotione eam perturbatam fuiſſe non probetur, ſi externa corpus eius violentia non afflixerit, quae noxam foetui intulerit, ſi mala corporis, in primis peluis, conformatio partum difficilem eſſe debuiſſe non vero ſimile reddat, ſi

μ) *ex puerpera.*

 tandem

k) De Generat. Animal. in additamento de placenta vterina. p. 394. edit. Amſteld. 1651. 12.

tandem illa, ad abortum promouendum, intempestiuis remediis non fuerit vsa. Quum contra, ex praesentibus hisce conditionibus, quarum vestigia tunc vel in corpore parientis supersunt, vel fide dignis testibus corroborantur, praecipue, si neogeniti disquisitio idem declarat, insidias vitae nascentis letales inde affirmare cogamur. Nec minor probabilitatis gradus quidem oritur, foetum recte valere, dum motus in vtero se percepisse non solum, sed etiam successiue intensiores se expertam esse grauida confiteatur, siquidem id naturae consentaneum sit. Ast, quod motus hosce circa gestationis finem defecisse astute plerumque fingunt reae, non poterit rei veritas, nisi ex ipsius foetus perlustratione, luculenta reddi. Euidens quoque partus ipse signum exhibet, si nempe debito et quo maturus factus est foetus, tempore contingit. Hoc itidem ex perfectione illius intelligitur, quae, si etiam seriori, ac solenne est, partu prodeat, eo plenior habebitur. Comparatus autem neogenitus, cum eo, quem puerperae nonnunquam indicant, conceptionis termino, veritati obductam nubem discutiet. Addunt quidem, facilem, quae breui temporis spatio absoluitur, partum, qualis clandestinum partum edentibus non infrequens esse solet, vitam foetus arguere, quod propriis ille viribus motibusque sese expediens eum acceleret, dummodo, abortus aeque subito ac facile generari, immo post mortem matris aliquando foetus excerni, non obstaret. Difficilium autem partuum ea est ratio, vt sine auxilio accedente fieri raro possint, et notis quoque §. XIII. externis dignoscantur. Quod autem post partum etiam singularem in suscipiendis consuetis negotiis puerperae aptitudinem ad diagnosin vitae foetus referunt, eam pari modo non in vniuersum valere iudicamus, quoniam ex abortu et difficili partu eadem ratione nonnullas breui interiecto spatio refocillatas restitui experientia docet, ac alias a facillima solutione foetus grauiter

decum-

decumbere. Hinc multum ad corporis puerperae dispositionem et caussas accedentes referendum erit. Plus certe in lochiorum natura certitudinis est: haec enim sanguinea, nec peregrini odoris, sine acredine prodeuntia et sensim imminuta plerumque viuos subsequuntur; putrida vero, grauiter olentia, dolorem ex erosione partium, per quae delabuntur, excitantia, putrilaginosis placentae particulis simul exeuntibus, emortuos, immo iam putridos foetus. Interim et hi, quatenus opinionem hanc fulciant, ex supra dictis intelligitur.

§. XVIII.

Quae itaque iam exposuimus, ad externam tantum corporis foetus et neogeniti superficiem pertinent, atque generales instituendae disquisitionis notas ostendunt, ex quibus haud difficilis est futurus medici forensis labor, si singularium partium indicia subtilius percurrendo, cum vniuersa oeconomia animali comparare libuerit. Etiamsi aliquae ex his solae certitudinem non habeant, eam tamen collectae consequuntur non raro, et tandem fallere amplius non possunt, si simul cum iis conferantur, quae ex perscrutatione interni et dissecti corporis patescunt, quo demum, quae in foro desideratur, corporis delicti certitudo firmissima euadat. Haec autem momenta ad aliam differre occasionem nunc iubemur.